



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. SS. Eucharistiæ percepta mira dulcedo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

fuit illi Christus. Sed, quia vita illius à P. Petro Hugone nostro copiosè descripta, in manibus est, nolo hîc paginas implere. Satis est, monere, nihil delicatius, dulcius, exquisitius à Deo hominî dari potuisse, quàm filij sui, in Eucharistia, corpus, quod quò sapius dignè, eò etiam suaviùs manducatur; neque nauseatur, nisi à stomacho vitioso, & mel tanquam fel respuente.

III.

Cæsarius
Heisterb. l.
9. c. 39.

Fœminam cibis humanis pastam, sed diuinis prodigiosè recreatam, sic fide dignus author recenset: *Novi quandam sancti-
monialem ordinis nostri, qua illam à Domino accepit gratiam, ut quan-
do communicat, tantam ex ipso Sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si
mel reciperet. Non saporem panis, sed mellis, ut dixi, in masticatione,
sentit, tota illa die; maxime ante perceptionem cibi corporalis, salivam
habens mellistnam. Nec mirum; legitur enim de manna, quod gustus*

Ibid. c. 40.

*eius fuerit quasi simile, cum melle. Pergit paulo post author: Similem
gratiam, & fortè maiorem, audiui collatam fuisse dominae Alheydi pri-
mae Abbatisse monasterij civitatis Vestualie. Hec quotiescung, corpus
Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neq, pa-
nis saporem intra fauces sensit, sed ipsum Sacramentum, quasi fauus
mellis, sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit: Sic, ut
mira suavitate omnia eius interiora replerentur. Quando defuncta est,
dominus Florentius Abbas de Campo S. Marie, qui pater eius fuerat
spiritualis atq, confessor, post sepulturam eius, omnibus, qui confluxer-
rant, eandem gratiam predicavit. Subijcit his Apollonius; Si de ca-
dauere leonis egressa est dulcedo, non miror, si de corpore Christi, qui est
leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur. Et planè non sine causa dicitur:*

Iudic. 14.
Apoc. 5.

Cant. 4. 11.

*Fauus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua. Hanc enim
dulcedinem in Sacramento, efficiebat ardor charitatis. Dulcis
enim est amor, & omnia facit amanti dulcia; quemadmodum
vana amanti amarissimum est Eucharistiae manna degustare, de-
bet enim alia relinquere, quæ illi, tanquam exfurdato palato, vi-
dentur dulciora. Monendi tamen mihi, hîc, sunt simplices, ne
putent se sensibilem, in sumendo sacro hoc ferculo, experiri de-
bere dulcedinem. Spiritualis cibus est, & spiritualis dulcedo,
hoc est, charitas in eo, coniunctioque cum Deo quærenda est;
quam vtique significat dulcedo illa, quæ ore percipitur à nonnul-
lis, nec appetenda, si deest; nec, nisi cum magna humilitate, si
adeest, acceptanda. Solet enim Deus, etiam per corporum sensus
subinde animas refocillare: quam ob causam manna de coelo mi-
sit Israëlitis,*

Hoc